

Operans enim qui in actu primo per formam perfectus est, est principium tum ulterioris perfectionis quam recipit, nempe, operationem tum etiam ulterioris perfectionis quam producit, nempe, operatum.

Notate tamen hanc duplicem terminologiam nullo modo ipsum S. Thomam decipisse. In *Scripto super Sententias* et in *Q. D. de Potentia* terminologia ex Avicenna praevalere videtur. In *Summa contra Gentiles* et in *Summa de Theologia* magis usurpatur terminologia Aristotelica. Qui usus satis illustratur si *De Pot.*, q. 1, a. 1 et *Sum. theol.*, I, q. 25, a. 1 comparantur: in corpore enim articuli *De Potentia* ponitur terminologia Avicennae, in obiectionibus autem terminologia Aristotelica; contra, in corpore articuli in *Summa* ponitur terminologia Aristotelica at recurrit terminologia Avicennae in obiectionibus solvendis.

Loca S. Thomae atque fontes indicantur apud *Theol. Stud.*, VIII (1947), 418-29; etiam cf. *ibid.*, 437-41.

6. *Pati, passio.*

Novem diversi sensus vocabuli, *pati*, distinguuntur in *III Sent.*, d. 15, q. 2, a. 1, sol. 1 & 2.

Brevius et sufficienter distinguuntur *pati proprie* et *pati communiter*.

Pati proprie includit vel proprietates passionis materialis quae in *Physicis* ab Aristotele determinantur vel motus vehementer animae sensitivae vel dolorem.

Pati communiter supponit subiectum et dicitur de quolibet effectu qui in subiecto recipitur atque subiectum sive in melius sive in peius movet vel mutat.

Ita *De Veritate*, q. 26, a. 1; *Sum. theol.*, I, q. 79, a. 2; I-II, q. 22, a. 1. Multa et diversa loca invenies indicata, *Theol. Stud.*, VIII (1947), 413-17.

7. *Actio (ποίησις, factio).*

Nunc consideranda venit actio quae est non actus (energeia) sed praedicamentum et forte, magis generaliter, exercitium causalitatis efficientis. Qua in re distinguere oportet 1) terminologiam ipsius Aristotelis, 2) terminologiam Aristotelicam prout paulo immutata a S. Thoma adhibetur, et 3) terminologiam aliam quae maxime in *Scripto super Sententias* et *Q. D. de Potentia* invenitur.

Primo, ergo, distinxit Aristoteles motivum, movens, mobile, motum, et motus (kinétikon, kinoun, kinéton, kinourme-non, kinésis). Motum est potentia activa; mobile est potentia passiva; et uno eodemque actu tum motivum fit movens tum mobile fit motum; qui actus est motus in mobili quidem receptus sed a movente productus. Probat Aristoteles nihil per se recipi in motivo quando fit actu movens quia sequeretur omne movens moveri, quod est impossibile si ullus existit motus.

Iam vero ille unus idemque actus qui a movente producitur et in mobili recipitur duplicem habet relationem: aliam nempe ad movens a quo est; aliam vero ad motum in quo est. Unde oriuntur definitiones actionis et passionis. Actio enim est actus huius ut ab hoc, nempe, actus moventis ut a movente. Passio vero est actus huius ut in hoc, nempe, actus moti ut in moto. *In III Phys.*, lect. 4 & 5.

Notate hoc theorema Aristotelicum a S. Thoma adhiberi in solvenda notissima difficultate in re trinitaria. *Sum theol.*, I, q. 28, a. 3 ad 1m.

Notate etiam hanc analysin Aristotelicam non restringi a S. Thoma ad res materiales seu ad motum striete dictum. Sicut enim unus idemque est actus tum molivi tum mobilis, ita etiam unus idemque actus est sonantis et audientis, et generaliter sensibilis et sentientis; secus enim omne movens moveretur. *In III de Anima*, lect. 2, § 592 s.

Deinde, interdum haec terminologia Aristotelica paulo immutata a S. Thoma adhibetur. Secundum Aristotelem enim actio et passio cum ipso motu identificantur. Secundum modificationem S. Thomae, actio est denominatio agentis a patiente, et passio est denominatio patientis ab agente. Ita in ipso Commentario, *In III Phys.*, lect. 5, § 15; cf. § 13. Unde fieri potest ut in creatione, ubi nullus est motus, adsint tamen relationes creationis activae et passivae. *Sum. theol.*, I, q. 45, a. 2 ad 2m; a. 3 c.

Tertio, existit alia terminologia prorsus diversa secundum quam concipitur actio tamquam « ut ab agente » vel « ut ab agente in aliud procedens ». Quae terminologia verbis sed non rebus a terminologia Aristotelica differt, prout loco sequenti patet:

« Quod autem attribuitur alicui ut ab eo in aliud procedens non facit compositionem eum eo, sicut nec actio cum

agente ... sine aliqua mutatione eius quod ad aliud refertur, potest desinere ex sola mutatione alterius; sicut etiam de actione patet quod non est motus secundum actionem nisi metaphorice et improprie sicut exiens de otio in actum mutari dicimus; quod non esset si relatio vel actio significaret aliquid in subiecto manens». *De Pot.*, q. 7, a. 8 c.; cf. q. 7, a. 9 ad 7m.

Vide *Theol. Stud.*, III (1942), 377 ss.

Tandem denique verum est Aristotelem theoriam suam de actione ita elaborasse ut directe de motu stricte dicto loqueretur. Verum etiam est S. Thomam scripsisse: « actio secundum quod est praedicamentum dicit aliquid fluens ab agente et cum motu » *In I Sent.*, d. 8, q. 4, a. 3 ad 3m. Sed etiam verum est S. Thomam hanc analysin applicasse tum actibus cognoscitivis tum donis gratiae divinae, eamque adhibuisse ad doctrinam tum creationis tum SS. Trinitatis illustrandam. Uti enim optime novit, fit actio cum motu stricte dicto et fit actio sine motu stricte dicto; et de hac actione sine motu scripsit: « Quod quidem difficile est ad intelligendum non valentibus abstrahere considerationem suam ab actionibus quae sunt cum motu » *Quodl.*, IV, a. 9 c. Cf. *Sum. theol.*, I, q. 41, a. 1 ad 2m.

Circa quaestionem de praemotione physica, cum ad nostram materiam non attineat, sufficit indicare quae collegi, *Theol. Stud.*, III (1942), 381-402.

8. *Actus vitalis.*

Secundum Aristotelem quidquid movetur ab alio movetur. Secundum Platonicos vero anima fere definitur tamquam id quod se movet.

Qua de causa, theologi mediaevales et augustiniani, postquam distinctionem inter animam eiusque potentias agnoscere cogebantur, saltem ipsas animae potentias se movere docuerunt. Sicut enim anima non viveret nisi se moveret, ita actus animae non essent vitales nisi producerentur ab ipsis animae potentiis.

Quam doctrinam vehementissime propugnavit Petrus Ioannes Olivi, O. F. M., *In II Sent.*, q. 58 [Quaracchi, 1924]. Vide ob. 13am pp. 400-403, ob. 14am pp. 403-408, corp. pp. 412-14, ad 13m pp. 437-61, ad 14m pp. 461-515.

Petri sententiam mitigavit Gonzalvus Hispanus, *Quaest. disp.*, q. 3 [Quaracchi, 1935] pp. 27-49, ita ut obiectum non

Sum. theol., I-II, q. 26, a. 2 c: « Agens autem naturale duplicem effectum inducit in patiens: nam primo quidem dat formam, secundo autem dat motum consequentem formam ». Quare si paritas supponi potest, intellectus agens et phantasma non solum imprimunt speciem intelligibilem (quae est forma in intellectu possibili recepta) sed etiam dant motum consequentem istam formam (qui motus est intelligere). At si paritas cum agente naturali negatur, manet quod operatio (intelligere) est perfectior quam forma (species) ideoque motorem proportionatum in specie habere non potest.

In IV Sent., d. 49, q. 3, a. 2 sol.: « Ultimum autem et perfectissimum in unoquoque est sua operatio; unde omnis forma inhaerens comparatur ad operationem quodammodo ut potentia ad actum; propter quod forma dicitur actus primus ut scientia; et operatio, actus secundus, ut considerare, ut patet in II de Anima » [lect. 11 359 ss.].

De Pot., q. 5, a. 5 ad 14m: « ... obiectio illa procedit de actu secundo, qui est operatio manens in operante, qui est finis operantis, et per consequens excellentior quam forma operantis ». Cf. *In I Sent.*, d. 35, q. 1, a. 5 ad 4m; *De Malo* q. 1, a. 5 c; *Sum. theol.*, I-II, q. 3, a. 2; q. 49, a. 3 ad 1m; III, q. 9, a. 1 c.; a. 4 c. Etiam vide loca supracitata: *De proportione inter actum et potentiam*.

Cum his concordant quae de voluntate docentur. In operibus prioribus usque ad partem primam *Summae de theologia*, non videtur esse sermo de voluntate se ipsam movente, sed regit principium Aristotelicum « appetibile apprehensum movet appetitum » et libertas in eo fundatur quod « ratio circa contingentia habet viam ad opposita » [*Sum. theol.*, I, q. 83, a. 1 c.]. Dicitur quidem « quod liberum arbitrium est causa sui motus quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum » [I, q. 83, a. 1 ad 3m]. Dicitur etiam quod voluntas movetur ex se [I, q. 105, a. 4 ad 2m & 3m]. At deesse videtur expressio haec « voluntas se movet ». Vide *Theol. Stud.*, III (1942), 533-37.

Explicite tamen in *Q. D. de Malo*, q. 6, et *Sum. theol.*, I-II, q. 9, a. 3 c., ponitur quod voluntas se movet, non quia in voluntate habentur agens et possibile sicut in intellectu [I, q. 83, a. 4 ad 3m], sed quia voluntas in actu circa finem se reducit de potentia in actum circa medium. Actus autem circa finem est ex exteriori principio [I-II, q. 9, a. 4] quod principium est solus Deus [*Ibid.*, a. 6] qui hominem movet tum ad bonum universale tum per gratiam ad bonum particu-